

enervet hujusmodi resignationis; hoc pacto impunitas criminum quodammodo haberi queat: aut saltem pœnis à Canone decretis criminum rei se subtrahere possint. Quapropter hujusmodi resignationes tamquam in fraudem factas, & subreptitè impetratas, esse nonnumquam rejiciendas & annullandas dubitandum non videtur; quemadmodum latè variis distinctionibus adhibitis ostendit Molinæus ad Regulam *De Infirmis resignantibus* n. 155. & sequentibus.

XI. Hactenus dicta de resignatione faciendâ pendente judicio criminali non procedunt, si Papa Beneficium illud alteri contulerit in casum privationis sequuturæ. Solet enim nonnumquam beneficium alicujus de crimine accusati impetrari cum clausula, ut si accusatus beneficium privandus judicetur, illud cedat impetranti; additurque clausula Decreti irritantis, vi cujus collatio sive provisio istius beneficii alteri facta irritatur: & consequenter impeditur renuntiatio in favorem alterius pendente judicio. De hac impetratione & clausulis adjici solitis consulti poterunt Flaminius citatâ quæstione 165. item Rebuffus in Praxi parte 3. tit. *De modis quibus beneficia vacant* n. 52. ubi unâ monet, cum hæc clausula sapiat reservationem, quæ in Francia sublata est per Concordata, etiam resignationem pendente judicio factam in Gallia sustineri, non obstante illâ clausulâ.

XII. Sicuti quis jus suum alienare non prohibetur eo solo titulo, quod per hanc alienationem ipsum alienantem ad inopiam redigi contingeret, ita nec idcirco quis beneficium suum resignare prohibetur, tamen si beneficio resignato non habeat unde se aliat: modo tamen titulo illius beneficii ad sacros Ordines promotus non fuerit.

XIII. Et ita quidem inspecto jure communi. At hodie notorius stylus Curie Romanae habet, ut si Resignans beneficium sacro Ordine sit insignitus, in supplica exprimat clausula: *Aliunde commodè vivere valens*: quæ clausula in litteris provisionis repetitur; respicitque; *Substantiam gratia*, ut notat Flaminius lib. 2. qu. 6.

XIV. Stylus hinc originem habet ex Constitutione Pii V. quæ incipit, *Quonia* 52. in Bull. R. quæ inter alia habet: "Sed nec horum ullus sacro Ordine mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat ullo modo beneficium, vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commodè sustentari."

Quamvis hæc Constitutio tantum de Ordinariis loquatur, & non de resignationibus faciendis in Curia Romana tamen quia ratio, ne Clerici in opprobrium Ordinis mendicare cogantur, etiam in his resignationibus militat, recepta quoque est in Curia, & inde stylus ille inolevit.

XV. Verum quia hæc prædicta Constitutio Pii V. in Gallia recepta non est, neque prædicta clausula recipitur; sed habetur tamquam styli, ut notat Perardus Gastellus in tractatu de usu & praxi Curie Romanae pag. 175. quod eadem ratione dicendum de Belgio: quandoquidem nec hic Constitutio Pii V. usque recepta sit; uti supra capite 2. ex Zypæo notavimus.

XVI. Minorem 25. annis, at majorem 14. in spiritualibus haberi pro majore, communis est Interpretum opinio, fundata in *Cap. fin. De Judiciis* in 6. in verbis: "Si annum quartum decimum tuæ peregrinitatis in Beneficialibus & aliis causis spiritualibus, nec non & dependentibus ab eisdem, ac si major 25. annis existeres; ad agendum, & defendendum, per te, vel per Procuratorem, quem ad hoc constituendum decreveris, admitti debebis."

XVII. Hinc ulterius concludunt Canonistæ, minorem 25. annis, sed majorem 14. posse resignare beneficium, sive simpliciter, sive in favorem, vel ex causa permutationis; neque in tali resignatione requiri consensum & auctoritatem Tutorum; uti post alios tradit Flaminius Parisius Lib. 3. q. 7.

XVIII. Quod si in tali resignatione non reperiantur

inter venisse fraudes, aut malæ artes, quibus ad resignandum minor verisimiliter inductus appareat, resignatio illa in tantum valida erit, ut nulli rescissioni, aut restitutioni obnoxia sit; quemadmodum ibidem n. 11. tradit Flaminius; & non semel etiam per Senatum Regium judicatum fuisse testatur Broudæus in notis ad Lovetium Litt. B. n. 7. dicitque; ex Parliamentorum actibus sat competere esse, regulariter resignationes factas à minoribus 25. annis validas reputari, præsertim si jam pervenerint ad plenam pubertatem, id est, attigerint 18. aut 20. ætatis annum.

XIX. Monet tamen ibidem Broudæus, extare vetus Arrestum de 18. Junii anno 1554. quo vetatur omnibus Præceptoribus, Pædagogis, aliisque personis habentibus curam, administrationem aut regimen puerorum & scholarium, extorquere, aut acceptare ab ipsis ulla resignationes in eorum favorem, directè vel indirectè, sub pœna nullitatis hujusmodi resignationum & provisionum inde sequutarum, multâ arbitrariâ, aliâque dignâ punitivæ. Juliamque est, ut hoc Arrestum in prima congregatione Universitatis Parisiensis aliisque locis necessariis solemniter publicetur, ut nulla ignorantra pretendi possit. Hæc ibidem Broudæus, qui & integra arresti illius verba refert.

XX. Si ergo Minores resignaverint sua beneficia prædictis personis, vel in favorem ipsarum prolium, consanguineorum, vel aliarum personarum per ipsos suppositarum, resignationes illæ invalidæ erunt: uti factæ & in favorem aliorum quando ex circumstantiis sunt præsumptiones violentæ ac fundatæ resignationes malis artibus extortas fuisse; uti pluribus Arrestis declaratum fuisse annotat Broudæus.

Idipsum notavit Antonius Mornacius ad *Legem* 7. ff. *De Minoribus*, ubi postquam retulit, *Molinæus* notasse, *Capitulum fin. De Judiciis* in 6. non servari in Gallia quantum ad juraciones beneficiorum, seu resignationum, nes ut loquimur, judicatumque; fuisse arrestis Concilii Regii plurimis, resignationes Minorum, licet puberum, sine auctoritate parentum vel curatorum, nullas esse, immediatè subjungit: "Quod tamen intellige, si imperitia & facilitate juvenum doloque adversarii inductus sit Beneficiarius ut beneficio cederet." Deinde refert duo arresta quibus ob fraudem & dolum hujusmodi resignationes declaratae fuere nullæ.

XXI. Quod autem nonnumquam resignationes à Minoribus citra consensum parentum; quin & positivè iis reluctantibus fieri possint sine omni planè suspitione fraudis, bene ostendit Broudæus citato n. 7. atque unâ observans, parentes nequaquam posse cogere filios suos, tamen adhuc ætatem 25. annorum non attigerint, ut beneficia retineant: dum se nequaquam ad statum Ecclesiasticum vocatos sentiunt.

CAPUT V.

De Regula Cancellariæ De Infirmis resignantibus.

1. Refertur sextus regula.
2. Quis primus auctor.
3. Regula hæc ubique recepta.
4. Plura successu temporis addita.
5. Captum dubitari an regula obtineat in resignatione facta à non infirmo: & qua ratio dubitandi.
6. Verisimilius est, non esse locum in resignatione facta à non infirmo.
7. Exponitur clausula Clementis VII.
8. Infirmus adesse debet, non tempore expediendi mandati sed resignationis.

9. Re-

9. Regula loquitur de infirmitate corporis, non spiritali.
10. Non sufficit quem esse in periculo mortis, nisi sit infirmus.
11. Procedit in correpto morbo contagioso, aut vulnere sanciato.
12. Requiritur ut Resignans de eadem infirmitate decesserit.
13. In dubio de eadem decessisse præsumitur.
14. Regula loquitur de 20. diebus naturæ alibus, & completis.
15. Regula obtinet tamen si Papa interea moreretur.
16. Dies computandi à die præstandi consensu.
17. Id quoque in Gallia receptum.
18. Requiritur 20. dies non computato die præstiti consensu, nec die mortis.
19. Resignans infra 20. dies decedente, beneficium vacat per obitum ac si nulla resignatio intervenisset.
20. Resignatio hujusmodi in Curia facta non inducit reservationem.
21. Regula requirit, ut collatio sit facta vigore resignationis.
22. Inspectis hodiernis terminis, regula certò obtinet in resignatione coram Ordinario.
23. Edicti Philippi II. videtur hic vetitum recipere novas regulas Cancellaria sine Placeto Principis.
24. Edictum non loquitur expressè de Regulis Cancellariae, quamvis eas comprehendere videatur; & unâ referuntur verba Edicti.
25. Regula hæc tempore hujus Edicti erat recepta cum omnibus clausulis modernis.
26. Concluditur ei locum esse in Belgio in resignationibus coram Ordinario.
27. In Gallia aliud obtinere jam pridem visum est Molinæo; & quare.
28. Zypæus Molinæi auctoritate deceptus.
29. Etiam in Gallia hodie regula in resignatione ex causa permutationis coram Ordinario obtinet.
30. Regula non obtinet in resignatione simplici facta coram Ordinario.
31. Hodie communiter huic regula derogatur, quando Resignans absens est.
32. Derogatio hæc in Gallia admitti consuevit.
33. An etiam admittenda in Belgio?
34. Ratio cur in Gallia potius, quam in Belgio admittenda.

Regula de viginti sive *De Infirmis Resignantibus* quæ est 19. his verbis hodie, exprimitur. "Item voluit quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel aliàs dimiserit, aut illius Commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata, & postea infra viginti dies à die per ipsum Resignantem præstandi consensu computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare."

II. Primus hujus regulæ auctor vulgò creditur Bonifacius VIII. qui sedit sub fine sæculi 13. At difficile creditur ait Gastellus in tractatu *De usu & praxi Curie Romanae*, eam à Bonifacio VIII. inductam fuisse. Quia cum resignationes in favorem non innoventur, nisi post tempora Bonifacii; imò eartum usum denum frequentari cœperit mortuo Gregorio XI. tempore scismatis Avenionensis, regula hæc nequit ab eo fuisse inducta: utpote quæ resignationes in favorem concernit. Hæc ille.

III. Illud equidem certius est, eam in foro & Curia, quod Van Espen *Jur. Eccl. P. II.*

idiano usu receptam esse, ut testatur Flaminius Parisius *De Resignat. Benef. Lib. 12. in præfatione num. 1* Quin & in Gallia anno 1493. recepta, & Registris Curie Parisiensis inserta fuit. Similiter & in Belgio usu receptam esse notat Zypæus in *Jure novo tit. De Renunt. n. 3.* additque Vande Velde insignis Jurisconsultus Lovaniensis in notis manuscriptis ad hanc regulam: "Et constat, secundum eam sæpillimè fuisse judicatum in Artesia, Flandria, Brabantia, Mechlinia, & novissimè in Concilio Privato 10. Martii ann. 1639."

IV. Insuper constat, hanc regulam sæpius mutatam fuisse, additionibus & detractionibus clausularum per diversos Pontifices factis; ut in explicatione regulæ observabimus: ideòque mirum non est, si apud Interpretes hujus Regulæ magna reperiat opinionum diversitas, & confusio: eò quod antiquiores regulam cum antiquis, Recentiores verò cum novis additionibus & restrictionibus interpretati sint.

V. Dicit Regula: *Si quis in infirmitate constitutus*. Ex his verbis tamquam indubitatum concludere antiquiores hujus Regulæ Interpretes, primum requisitum hujus Regulæ esse, infirmitatem resignantis: id est, hujus Regulæ locum non esse, nisi quis infirmus existens resignaverit.

Verum Clemens VII. qui anno 1523. ad Pontificatum est assumptus, huic Regulæ inseruit clausulam: *Etiam vigore supplicationis dum esset SANUS, signata*; uti notat Gomefius in præfatione ad hanc regulam, qui & addit: "Quod odio Cardinalis de Vigh, qui in conclavi ei plurimum obstiterat; Clementem fecisse, satis competum est. Nihilominus postremò Paulus III. in suis extraordinariis regulis Clementem esse imitatus." Hæc ille. Quidquid sit de hoc asserto Gomefii, illud constat, eam clausulam huc usque regulæ manere insertam; atque ob eam additionem dubitare cœpisse hujus Regulæ Interpretes, utrum in resignatione facta à sano regula locum non haberet, si modò intra 20. dies juxta terminos regulæ decessisset.

Et quidem Chokier in Commentario ad hanc regulam, putat ob hanc Clementis appendiculam, hodie non requiri ut Resignans aliquo tempore infirmus fuerit, ut huic regulæ locus sit. "Modò post consensum per se, vel per Procuratorem præstitum moriatur infra 20. dies locus erit huic regulæ; hoc est, Beneficium vacabit per obitum, & non per resignationem, quamvis ab initio esset sanus. Ita ille, qui hinc ulterius concludit: "Et proinde pro nihilo sunt diversæ diversorum Doctorum hujus regulæ limitationes, videlicet de sene aliàs sano; item amente extra tempus delirii; item de constituto in periculo mortis tempore tempestatis, prælii, contagionis, istar, inquam, limitationes planè jam corrumpunt propter dictam Clementis VII. appendicularem constitutionem." Ita Chokier.

VI. At Rebuffus, quamvis referat regulam cum dicta Clementis appendicula, nihilominus inter requisita regulæ, primo loco requirere non dubitat, ut Resignans sit in infirmitate constitutus; atque concludit: "Ergò si esset sanus resignationis tempore, licet postea fato quodam moriatur intra viginti dies, nec tamen habebit locum hæc regula: quia resignans non est in infirmitate constitutus."

Et sanè si infirmitas Resignantis non exigeretur tempore resignationis, dicere non deberent, etiam moderni Pontifices, *Si quis in infirmitate constitutus resignaverit*; utpote quæ nimis aperte supponunt, regulam loqui, de resignante in infirmitate constituto, uti rectè advertit citatus Vande Velde refutans opinionem Chokier.

VII. Unâ notat Vande Velde, quod Pontifices addendo eam clausulam: *Etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata*, voluerint dumtaxat declarare, regulæ locum esse, si quis in infirmitate constitutus resignaverit, tamen hæc resignatio facta fuerit vigore supplicationis, dum esset sanus, signata.

¶ ¶ ¶

Pro

Pro quo observandum, per supplicationem non fieri proprie resignationem, sed per consensum Resignantis sive per se, sive per Procuratorem specialiter ad hoc constitutum: quia paria sunt resignare, vel prestare consensum, ait Rebuffus ad hanc Regulam *Glossa 2. num. 3.*

Imò uti post Flaminium Parisium rectè advertit Chokier *num. 18.* "Potest supplicia porrigi à quocumque, etiam sine mandato speciali, & per litteras missivas, licet ad præstandum consensum Notarii Camerae vel Cancellariae illum non extenderent, nisi de illo constaret per publicum instrumentum."

Si itaque supplicatio pro approbatione resignationis exhibitã fuerit, tempore quo resignans adhuc sanus erat, postmodum verò resignans in infirmitate constitutus per se vel specialem Procuratorem consensum præstet, locus erit Regulæ: quia revera censetur resignare in infirmitate constitutus; quia *præstando consensum* proprie resignat: tamen si tempore supplicationis signata fuerit sanus. Voluerunt enim Pontifices, ut sicuti consensus præstitus post signatam supplicationem retrahitur ad datam supplicationis; ita quoque ipsa infirmitas, quæ est tempore consensus præstiti, retrahatur ad eandem datam: censeturque in infirmitate constitutus à data supplicationis resignasse.

VIII. Itaque infirmitas requiritur tempore resignationis; non autem tempore quo expeditur mandatum, vel instrumentum mandati ad resignandum: quia revera per tale mandatum, aut instrumentum mandati nondum sit resignatio. "Quid enim si sanus hoc facit, & instrumentum penes se servat, vel non levatur, sed manet in matrice Notarii, donec accedente infirmitate levetur & tradatur curi? Locus erit omnino huic regulæ, quæ loquitur de resignatione facta vel executã contemplatione infirmitatis," ait Auctor *Analysis ad hanc Regulam n. 128.*

IX. Infirmitas, quam exigit regulæ, intelligi debet modo vulgari de vera corporis infirmitate, à qua quis vulgò dicitur *infirmus*, sive in infirmitate constitutus.

Hinc rectè concluditur, regulam intelligi debere de infirmitate corporis, non autem mentis, uti post Rebuffum rectè notat Auctor *Analysis num. 141.* Nisi esset talis & tam vehemens morbus, ut ex eo sanitas corporis notabiliter læderetur: quia tunc concurret etiam infirmitas corporis, & periculum vitæ, alioquin in sola ægritudine, de qua non speratur mors, non adaptaretur hæc regulæ. Si tamen ægritudo mentis alienationem induceret, non per hanc regulam, sed jure communi corrueret resignatio, & quidquid inde secutum esset.

X. Eadem ratione nec in *senectute* hæc Regulæ obtinet: quia proprie non dicitur infirmus, uti bene observat Rebuffus *Glossa 2. num. 13.* post Gomefium ad hanc Regulam *quæstion. 7.*

Similiter Regulæ non obtinet in adæunte bellum, aut mare: quia licet aliquod periculum mortis imminet, nequaquam tales dicuntur in infirmitate constituti; sed sani sunt, & ut tales ab omnibus habentur. Rebuffus *num. 14.*

XI. Imò post Gomefium dicitur ibidem Rebuffus, locum non esse huic Regulæ, si quis resignet *peste correptus*: nam Gomefio is dicitur infirmus, qui *jacet in lecto febre correptus*. Ad quam Gomefii opinionem reflectens citatus Auctor *Analysis num. 126.* non immeritò dicit: *Sed prorsus delirari:* "Quia quanto morbus periculosior est, quanto major sanitatis & vitæ desperatio, tanto major dicitur infirmitas, in veris & propriis terminis hujus Regulæ; sive verba, sive mentem, sive utrumque inspicias."

Deinde concludit idem Auctor: "Sive igitur Resignans detineatur morbo quo decumbit, sive non decumbat, sed sedeat, vel etiam ambulet, si tamen ex eodem morbo, puta vulnere ensis, vel collisione, lapsu, vel apoplexiã, seu gravi catharro, vel carbunculo pestifero laboret, & infra viginti dies de eodem morbo decedat, locus est huic Regulæ."

XII. Non sufficit Resignans tempore resignationis fuisse in infirmitate constitutus; sed insuper requiritur Regulæ, ut de ipsa infirmitate decesserit; id est, ex illa infirmitate, in qua tempore resignationis constitutus erat. Unde concludit Rebuffus *Glossa 11.* quod si *fato* quodam more retur, non haberet locum hæc Regulæ: ibidem unã notans: "Dicitur tamen mori ex infirmitate, etiam si febris ratione illius supervenerit, vel aliud acciderit ab ipsa infirmitate, sed si extra provenierit." Deinde nonnullis interpositis tandem concludit: "Ergò relinquatur arbitrio Medicorum, quando censetur obiisse mortem ex infirmitate."

XIII. Si tamen dubium sit, præsumitur mortuus ex eodem morbo, vel infirmitate; uti monet Auctor *Analysis n. 126.* & etiam Rebuffus loco citato, qui consequenter concludit: "quod sufficiat duo probare, primò, Resignans, tem infirmum tempore resignationis, & demum mortuum, unã intra viginti dies: quia præsumitur mortuus ex ipsa infirmitate, non si fuerit contrarium probatum."

XIV. Ut Regulæ obtineat, exigitur, ut de illa infirmitate decesserit intra viginti dies. Accipitur autem hic dies pro die *naturali* viginti quatuor horarum, uti post Rebuffum *Glossa 9.* monet Flaminium Parisium *lib. 12. q. 8.* unã notans, diem ultimum debere esse *rotaliter* completum; ita ut si moriatur ipso die vigesimo, censetur mori intra 20. dies ad mentem Regulæ: quamvis non attendatur, quã hora diei ipsa resignatio facta sit: quia Notarii Camerae & Cancellariae horam præstiti consensus seu factæ resignationis annotare non consueverunt.

XV. Observat insuper Rebuffus citatã *Glossa 9.* quod Regulæ hæc etiam habeat locum, "etiam si admittã resignationem moreretur Ordinarius intra viginti dies, vel Papa: quia licet per mortem Papæ extinguantur Regulæ tamen hæc Lex Regni facta est eo ipso, quod in Parlamento fuit recepta & registrata: quæ in tantum fixa manet, ut nihil officiat mors Papæ."

XVI. A quo tempore dies illi viginti computandi essent, apud antiquos Regulæ hujus Interpretes non exigua fuit difficultas, quam fuit Julius II. addendo ipsi Regulæ hæc verba: *Adiè per ipsum resignantem præstandi consensus computandos*: quæ verba à posterioribus etiam Pontificibus retenta sunt.

XVII. Et quamvis Regulæ fuerit à Parlamento Parisiensi 20. Novembris 1493. registrata, & pro Lege Regni recepta absque dicta clausula, quæ demum sub initium sequentis seculi à Julio II. fuit adjecta; nihilominus, uti notat Auctor *Analysis* merito in usum recepta est; qui *n. 10.* & *11.* de tempore quo dies illi computandi sunt; nec non hujus clausulæ receptione ita loquitur: "Circa tertium (hoc est, ut *infra 20. dies decesserit*) notandum quod ante Julium II. hi viginti dies currere incipiebant statim à resignatione admittã, sive collatio statim esset facta, sive dilata, & non prius: unde si constaret de instrumento resignationis, in Camera, vel Cancellaria Papæ, vel Legati de latere, & constaret suspensam vel dilatatam esse admissionem (quod minime solent) si tamen quocumque casu contingeret diffamam esse admissionem, non inciperent currere XX. dies (etiam cessante regulã Julii) nisi à die admissionis, uti supra probavimus, quicquid scripserit Gomef. sed ab adventu Julii, qui die XXVIII. Novembris 1503. anno 1. hanc Regulam rursus innovavit & publicavit, eique primus addidit clausulam illam: *à die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos*: ex tunc inquam hoc tempus non cæpit, nec deinceps currere incipit nisi à die solius resignationis admittã, veræque vacationis per resignationem admittã, imò nec à die collationis: sed tantum à die quã ipsemet resignans, personaliter (si præsens sit in Curia) aliã, per procuratorem ad hoc specialiter constitutum, & expeditioni Bullarum consenserit, & judicaverit ut moris est, secundum Regulam XLIII. Innocen. VIII. Et

quamvis dicta clausula non habeatur in textu hujusmodi Regulæ, diu ante adventum præfati Julii in usum recepta, & etiam in hoc summo Parisiorum Senatu, & in publicis monumenta relata, tamen ita procul dubio observandum, & judicandum est: cum per hanc clausulam justè additam, magis obvium fraudibus, & plenius Ordinariorum libertati consulatur.

XVIII. Ulterius cum dicatur *infra 20. dies à die per ipsum resignantem præstandi consensus*, infert Rebuffus *Gloss. 10. n. 9.* & post eum alii Interpretes, "quod dies consensus non computetur in termino viginti dierum; & hoc (ait) probatur per dictionem A quæ separationem & exclusionem denotat. Unde si quis resignaret Kalendis Julii, & vixerit usque ad vigesimum diem, adhuc habebit locum hæc regulæ & censetur per obitum vacare; verum si lapsus fuerit dies, valebit resignatio: quippe non computabitur hoc tempus de momento ad momentum, sed tota dies computatur, ut si quis resignaverit hora 7. Kalendarum Julii tamen die sequenti, illã horã non erunt lapsi dies viginti: sed requiritur tota dies evoluta."

Refertur in libro cui titulus, *Journales du Palais tome 10. pag. 426.* & sequentibus, quod anno 1680. in magno Parlamento Parisiensi multum disputatum fuerit, an Regulæ hæc requirat 20. dies *liberos & plenos* inter diem admittã resignationis & diem mortis, ita ut, nec ipse dies præstiti consensus, nec dies mortis computetur; tandemque decisum fuerit in Martio anno 1682. tales dies requiri; ubi & opinionis hujus fundamenta videri possunt.

XIX. Dicit Regulæ, quod si resignans ante elapsos illos viginti dies secundum tenorem Regulæ decesserit, ipsa collatio sit facta sit *nulla*, ipsamque Beneficium per obitum censetur vacare: ita scilicet, ut Ordinarii Collatores de illo Beneficio possint providere; quin & Nominati Academici illa acceptare, ac si nullã resignatione præcedente, per obitum possessoris simpliciter vacarent. Rebuffus *Glossa 12.* ibi quoque dicit, vigore hujus regulæ beneficium, non obstante resignatione, ita censeri per obitum vacare, ut etiam si alicui beneficium tantum deberetur *siper obitum* vacaret, quidem sic vacans deberetur.

XX. Et licet resignatio facta esset in Curia Romana, nequaquam tamen propterea Papæ esset reservatum: sed si resignatio sit nulla vigore hujus Regulæ, poterit liberè tamquam per obitum vacans ab Ordinariis conferri; & ita *quod videamus Leodii. & in Urbe præfati*, ait Chokier *num. 23.*

XXI. Requiritur tamen ad inducendam nullitatem collationis, ut collatio sit facta vigore resignationis. Dicit enim regulæ: *ac ipsum beneficium conferatur*, PER RESIGNATIONEM. Unde si *infra* viginti dies Resignans per sententiam beneficium privaretur, aut Matrimonium iniret, aliòve modo beneficium vacaret, collatio esset valida non obstante hac regulæ: quia non est beneficium collatum tamquam vacans per resignationem.

XXII. Olim anxie disceptatum fuit, an regulæ hæc concerneret resignationes sive simplices, sive ex causa permutationis factas coram Ordinario: at postquam Paulus III. addidit ipsi regulæ hæc verba, *quavis auctoritate*, quam subsequentes Pontifices quoque tenuerunt, communi penè calculo receptum fuit, regulam etiam in renuntiatione facta coram Ordinario extra Curiam Romanam locum habere; uti post Flaminium Parisium aliòsque citatos tradit Chokier *num. 20.* idque in resignatione causã permutationis, sive permutentur beneficia æqualia, sive inæqualia; sive reservatis fructibus, vel pensione, sive non reservatis, uti latius ostendit Flaminium Parisium *libro 12. quæstio 5.*

XXIII. Notat autem Vande Velde in citatis observationibus M. S. "Hic in Belgio videntur omnes Regulæ Cancellariae præsertim quatuor supra scriptæ (nempe regulæ *De viginti diebus, De publicandis resignationibus, De Van Epen Jur. Eccl. P. II.*

Versimili notitia, & De Idiomate) ipso usui esse receptæ. Deinde subjungit: "extat tamen Edictum Philippi II. Regis de anno 1584. quod etiam vetat mandari executioni, ni regulas Cancellariae Apostolicæ non obtinens litteris *Placeti* in Concilio Privato, vel Cancellaria Brabantia, si quæ forsitan de novo condentur, tendentes in præjudicium hujus Republicæ, aut alicujus tertii, prout Edictum istud expressè subjungit."

XXIV. Verum Edictum istud expressè non meminit regularem Cancellariae, prout hic auctor innuere videtur: sed generaliter duntaxat de quibuscumque gratis, indulgentiis privilegiis sive generalibus sive particularibus, sententiis aut executorialibus datis aut emanatis à Papa ejusve Legato loquitur: sub qua generalitate comprehenduntur Regulæ Cancellariae non dubitavit dictus Auctor; nec ratio dubitandi videtur; tam attentã Edicti generaliter, quàm ejusdem scopo.

Cum hoc Edictum hæctenus libris Edictorum non sciam insertum; missum tamen sciat ad omnia Belgii Concilia, & in publicis monumentis asseruari, & quotidiano usui firmiter ad hunc diem observari, ejus verba hic inferere operæ pretium judicavi.

Desirans que les affaires Ecclesiastiques soient conduits, main tenu, & reglez selon les anciennes Constitutions, Canons & Concils de la sainte Eglise à l'honneur de Dieu & salut des nos Ames, AVONS par avis & deliberations de nos principaux Conseaux Souverains & Provinciaux de par deca ORDONNE' STATUE' ET DECLARE' par forme d'Edit perpetuel, Comme Ordonnons, Statuons & Declaronons que nulles Bulles, Provisions, ny autres Depêches ou Impetrations de Rome ny de Legats ou Nonces Apostoliques, ou revocations d' aucunes Graces, Indults, Privilèges tant generaux que particuliers, ny aussi aucune Sentence, ou Executoriales rendues & decretées hors nosdits Pays de par deca, rendant directement ou indirectement au præjudice de certe republique: ou d' aucun tiers particulier, se pussent ad mestre & sortir effet en jugement ou dehors, ny être mises en execution en eux nos Pays de par deca, si est que préalablement lesdites Lettres Bulles, Sentences & autres Impetrations ayent esté venues, visitées, & examinées par Nous en notre Conseil prive ou en notre Conseil de Brabant, & que les Impetrans ayent obtenu nos Lettres Patentes de place à ce pertuents. Id est: Cupientes ut Ecclesiasticae causæ crentur, protegantur & dirigantur juxta præfata Statuta & Canones Conciliorum Ecclesiæ, ad Dei honorem, animarumque nostrarum salutem. Ex consilio & deliberatione Primarii cuiusque & Supremi Senatus nostri, & Provincialium in ditionibus citerioribus, mandavimus, statuvimus & declaravimus in forma Edicti perpetui, prout mandamus, statuimus, & declaramus, nullas Bullas, Provisiones, aliãsve litteras, aut gratias Romæ impetratas; sive Legatorum, sive Nuntiorum Apostolicorum; aut quarumcumque gratiarum, Indultorum, Privilegiorum, tam generalium quàm particularium suppressiones; nullam insuper sententiam, aut Executoriale mandatum pronuntiatã, aut decreta, extra dictas nostras ditiones citeriores, directè aut indirectè tendentia in præjudicium hujus Republicæ, aut alicujus tertii, admitti posse, effectumque suum sortiri in aut extra judicium, nec executioni mandari posse in dictis Regionibus citerioribus, nisi præviã à Nobis in Concilio nostro sanctioni, aut Senatu Brabantia, dictæ, Litteræ, Bullæ, Sententiæ, aliæque impetrationes fuerint visæ expensæ, & examinatæ, obtinuerintque Impetrantes Placeti nostri id spectantis litteras patentes.

XXV. Cum igitur regulæ hæc tempore hujus Edicti extaret cum omnibus modernis clausulis, etiam hæc Pauli III. nihilque à tempore promulgati hujus Edicti sciat hujus regulæ additum, non sine fundamento idem auctor in observationibus ad hanc regulam asserit, quod *praxi usque*